Carolus Herfurth

De Aquileiae commercio.

HR
H

DE AQUILEIÆ COMMERCIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

CAROLUS HERFURTH

SAXO-BORUSSUS.

204225
24. 4. 31

HALIS SAXONUM
TYPIS PLOETZIANIS (R. NIETSCHMANN).
MDCCCLXXXIX.

Printed in Germany

Parentibus carissimis sacrum.

Prooemium.

Duo illa praesidiorum genera, quae ad illustrandam Aquileiae antiquitatem pristinumque statum explicandum suppetunt (quorum prius est genus scriptorum veterum hanc coloniam commemorantium, alterum inscriptionum monumentorum nummorum), duo haec genera invenio a viris doctis eum in modum maxime temptata ac pervestigata esse, ut et res ab Aquileiensibus gestas et publica iura atque instituta persecuti hanc coloniae imaginem quam copiosissime illustraverint. Quaerunt igitur plerique quatenus urbs celeberrima cum universa communique coloniarum ratione ac forma congruat, quatenus ab ea abhorreat institutorumque proprietas quaedam cernatur, qualis sit coloniae cum populo Romano coniunctio, qualis dignitas temporibusque diversis qualis coloniae status. Prae his quaestionibus non mirum est aliquantum neglectas esse domesticas urbis res, utpote quibus exsistat manifesta quaedam fontium praesidiorumque macritudo et inopia. Namque inscriptiones, quas municipalibus rebus institutisque publicis maxime lucem constat affundere, haud aeque ad domesticas res perspiciendas pertinent; in quibus praeter artes complures praeterque paucas quae in deorum cultu cernuntur proprietates, nihil fere commemoratur, quod privatam civium vitam illustret et ad domesticas res cognoscendas pertineat. Aliquantulo uberius scriptorum pauci eas res attingunt: sed ut exiguus est inter veteres scriptores eorum numerus, qui plura de Aquileia urbe scripserint, ita universa ratione, qua illarum rerum mentio fit, parum nos adiuvari adaeque manifestum est

At tamen inprimis domesticae Aquileiae res videntur dignae esse, quas planius, quoad eius fieri possit cognoscamus. — Elegi equidem ex iis rebus unam disseramque de commercio[1], quod ut maxime floruit ita plurima gravissimaque incrementa coloniae praebuit. Ab hoc fundamento[2]) perspicuum est Aquileiam ad tantum auctoritatis et potentiae gradum escendisse, ut in urbis possessione regnum Italiae videretur una esse positum[3]). Sed quamvis de ipsa commercii magnitudine dubitandum non sit, aperte tamen de hac quoque re pauca traduntur. Quae cum ita sint, hac dissertatione saepius mihi aliquid erit petendum a finitimarum urbium condicione, a rebus per totam regionem gestis, a loci denique natura, ipsius urbis situ fortuna magnitudine.

Iam his praemissis ad rem ipsam sic accedamus, ut ab universo et regionis et coloniae situ describendo exordiamur, tum vero de natura atque magnitudine, denique de interitu commercii exponamus.

---

[1]) Qua de re priore aetate scripsit Concina: Il commercio dei Romani in Aquileia, Alvisopoli 1810, et his temporibus nonnulla enarravit O. de Breitschwert: Aquileja, das Emporium an d. Adria, 1880. Utramque scriptiunculam perlegi, sed libere profiteor, fructus haud ita magnos legendo me percepisse. — E reliquis, qui de Aquileia scripserunt, Czoernigius: Görz, Gradiska u. Istrien cet., (Vindob. 1875) et Maionica: Aquileia in der Römerzeit, Prog. Goriz. 1881 levius tantummodo hanc rem attigerunt.

[2]) Mommsenus CIL V p. 83: ut in bellis locum suum (urbs) teneret effecit commercium inter Illyricum et Italiam, cuius emporium praecipuum fuisse Aquileiam auctores testantur.

[3]) Cogitari potest inprimis de Maximino, qui ab hac una urbe repulsus miserrimum fecit omnium rerum naufragium. cf. Herod VIII, 2, 5 sqq. Schiller, Röm. Kaiserzeit I, 791.

Romanos cum omnibus temporibus magnis in re publica consiliis floruerint, tum inprimis perspicuum est et prudentia et audacia ingeniique acumine res administrasse, cum Aquileiam coloniam deducerent. Eximiam autem audaciam in ea deductione idcirco censeo esse conspicuam, quia relicta regione cispadana, quam usque ad id tempus vix coeperant coloniis munire, illi audebant cives collocare in locis remotissimis, in extremis Italiae finibus, nullo fere per hostes infestissimos aditu nisi per mare Adriaticum. Qua tamen in re haud scio an magis etiam sit admiranda prudentia. Namque apertum est, ea deductione uno quasi impetu retentos ac deterritos esse omnes qui tunc imminebant hostes: quasi arx colonia erat imposita Gallis et Istris; iam iam profecturo in Italiam Macedonum regi quasi propugnaculum erat oppositum iterque videbatur intercludere [1]).

Huius castelli condicio qualis fuerit ex rerum in illis locis gestarum memoria haud difficile crediderim esse intellectu. Persequentibus enim nobis coloniae res ac fortunam facile patet, saepenumero oppidum, cum videretur sic conditum esse, ut bellicum munus gereret, aut barbarorum invasiones prohibuisse ab Italia aut Romanorum legiones ad bellum inde proficiscentes tecto recepisse [2]). Itaque cum coloni in angustiis saepissime versarentur oppositique semper essent summis periculis, parum consentaneum est, castellum iam primo post primordia saeculo multum crevisse ac splendidiorem urbis formam induisse.

---

[1]) Haec temporum illorum discrimina uberius invenies exposita apud Zippelium, Illyricum unter röm. Herrsch. p. 113 sqq. cf. Momms R. G. I, 665. Benussi, l'Istria sino ad Augusto (Arch. triest. N. S. IX, 309 sqq.)

[2]) De quibus rebus copiosius Zippelius l. l. p. 135, 137, 157, 236 cet. Mommsenus, R. G. II, 169, III, 302.

Sed cum Augusto imperatore Italiae fines amplificati essent regnumque ad Danubium flumen productum, coloniae status ac species celerrime procul dubio coepta sunt commutari. Aucta iam urbs et frequentia et opulentia coepit florere pervenitque temporum spatio haud ita longo ad statum sic praecellentem, ut nova quaedam aetas coloniae tunc videatur nata esse[1]. Nam propagatione illa pomoerii ad Danubium facta cum externus timor remotus neque iam urbi bellicum munus per plus centum annos esset gerendum, omnes illae opportunitates eximiae, quae et situ et caelo suppetebant, multum coeperunt valere. Situm autem et urbis et totius regionis diligentius contemplanti haud difficile apparebit, quales eae opportunitates fuerint. Etenim quamvis natura et condicio locorum, quales nunc quidem sunt, maximam partem non conveniant cum his, quae veteres de iisdem rebus tradiderunt[2], universum tamen regionis situm adeo non dicemus mutatum, ut contra hac etiam aetate antiquae condicionis imaginem videatur reddere.

Condita igitur fuit colonia in planitie illa fertilissima et amoenissima, quam a meridie circumcludit intimus maris Adriatici sinus, a septentrione autem et oriente amplectuntur continua Alpium iuga[3]. Cuius terrae agros notissimum est veterum temporibus haud minore ubertate fuisse quam planitiem illam Foroiuliensem, quae proxime accedit atque his etiam temporibus omnium fere frugum maxime ferax est. Camporum fertilitatem augebant fluvii permulti rivique ex

---

[1]) Haud quaeram hic de beneficiis non dubiis per se, sed parum certis, quae ipsi urbi per imperatoris clementiam consentaneum est contigisse De murorum exaedificatione in illud tempus reponenda urbisque externa amplificatione disseruerunt Kandlerus in Arch. triest. I. 117 sqq. Kenner et Hauser in Mitteil. d. CComm. N. S 1 (1875) p. 29 sqq. cf. Maionicam Aquil. p. 21. sq.

[2]) Conferenda sunt, quae Czörnigius l. l. de fluminum alveis prorsus hodie commutatis disserat.

[3]) Res physicas (et ethnographicas) quam brevissime a me adumbratas uberius illustraverunt Czoernigius l. l. p. 7, 9, 17, 25, 107 sqq. Jos. de Zahn in Archiv für österr. Gesch. tom. 57. Benussi l' Istria sino ad Augusto (Arch. triest. VIII. 167 sqq.).

montibus decurrentes, qui et rura iuxta posita irrigarent fecundarentque et accolis faciles praeberent inter se aditus. Ex superioribus Alpium montibus procurrebant in ipsam planitiem colles leniter acclives, qui ad radices altissimarum Alpium porrecti item videbantur opulentissima rura circumvallare ac tueri. Hunc regionis situm manifestum est mirifice esse opportunum ac tutum. Ardua Alpium iuga quasi munimenta erant, quae a regione subiecta et plagae septentrionalis frigora et asperos ventos ex oriente flantes prohibebant. Ex altera vero parte solis calores, quibus a meridie planities patebat, ventosque perniciosos qui dicuntur Scirocci temperabant ac mitigabant humores maritimi libere ad apertam planitiem accedentes. Quo factum est, ut regio gratam plerumque temperiem et aerem purum ac blandum haberet [1]). Augebat regionis praestantiam mare Adriaticum prope extentum, quocum planities per complures fluvios coniuncta erat. Atque ut ora maritima per vada stagnaque ampla non solum commoda verum etiam tuta erat, ita a septentrione quoque natura in utramque partem fuit benevola. Iuga enim illa velut serie inter se cohaerentia, quibus dixi regionem quasi muniri ab omni et hominum et tempestatum impetu, uno tantummodo loco orientem versus ita diffinduntur, ut montes aliquantum sedeant praebeantque unum transitum belli domique aeque praeclarum.

Haec est condicio regionis illius, in qua natura fautrice apertum est multa concurrisse ad incolarum res atque opes augendas oppidumque maxime firmandum. Sed accedit huc, quod aptissimae erant iisdem rebus natura etiam atque indoles gentium, quae regiones Alpibus ab utraque parte subiectas incolebant. Nam praeter Venetos pristinis iam temporibus cum Romanis foedere coniunctos, quorum stirps atque origo dubiae sunt, loca ea inprimis tenebant complures Celtarum vel Gallorum gentes. Notissimum autem est, quam cupidae illae fuerint omnium rerum extrinsecus invectarum atque quantopere Italorum inprimis consuetudines adamaverint. Quo factum est, ut antiquitus iam haec loca cum Italia haberent commercium et Romanorum

---

[1]) Vitruv. I, 17 laudat Aquileiam (praeter Ravennam et Altinum) ob „incredibilem salubritatem“.

coloni occuparent terram quasi bene cultam atque paratam. Neque enim contemnendas esse veteriores illas necessitudines, quae huic regioni cum Italia intercedebant, facillime apparebit ex earum memoria, quae etsi non integra miras tamen permittit ratiocinationes.

Antiquissimis iam temporibus non defuisse itinera, quibus mercatores ex Italia in alpinas regiones commearent, et inventa quaedam demonstrant [1], quae ut sunt originis haud dubie italicae, ita aetatem nescio quam prae se ferunt, quae fuit ante Gallorum adventum, et illustrat inprimis ea res, quod sucinum a mari Baltico trans has Alpes deportatum in illis regionibus praecipuum emporium videtur habuisse. Namque licet paulum tribuendum sit auctoritati illius qui dicitur Scylacis [2], quem invenimus primum affirmasse Eridanum idem atque Padum esse flumen, tamen ex larga sucini copia, quam illic abunde suppetivisse et scriptores et inventa testantur, verisimillimum esse censeo, et Phoenices et Italorum permultos revera in intimum illum maris Adriatici sinum saepenumero commeasse.

Post Phoenices maxime Etruscos, populum praeter ceteros eruditum atque omni victu excultum, humanitatem usumque vitae cultiorem perspicuum est illuc deduxisse [3]. Qui cum excellerent insigni omnium artium laude, exeunte demum tertio a. Chr. n. saeculo [4] paulatim ut videtur desierunt merces suas

---

[1]) cf. Kaemmelium: Anfänge deutschen Lebens in Oesterreich p. 23 sq. Mommsenum: Röm. Gesch. I, p. 126.

[2]) Difficillimas et de Eridano et de sucino quaestiones non habeo cur hic anquiram. Uberius tractaverunt eas inprimis Forbiger, Hdbch. der alten Geographie, T. III (Ed. I) p. 336. cf. Tom. I, p. 361, 247 A. 2. Ukert, Ztschr. für Altertumswiss. 1838 n. 52–54. Unger, d. Eridanus in Venetien (Abhh. d. kgl. bair. Ak. d. Wiss. philol. hist. Cl. 1879. Tom. II, 2. 261–301. Schneider, Naturwiss. Beiträge p. 176, 181 sqq.

[3]) cf. Genthium: Der etruskische Tauschhandel nach dem Norden. Francof. 1874.

[4]) Kaemmelius l. l. Pichler, Mitt. d. CCom. N. S. (1880) VI, p. LXXVI. De titulis quibusdam in Venetorum finibus repertis disserit Mommsenus: Nordetrusk. Alphabete (Mitt. d. antiq. Gesellsch. zu Zürich, Tom. VII, p. 210 sqq.). Cf. ibid. p. 258: Die etruskischen Funde im Norden Italiens eröffnen einen merkwürdigen Blick in die weite nördliche Ausdeh-

in illis locis venditare. His vero temporibus Romani in amplissimas Gallorum sedes coeperunt invadere. Atque in eorum contentione, cum reipublicae causa id potissimum agerent, ut aliorum aditus prohiberent atque excluderent, haud mirum est Etruscorum commercium plane brevi interisse.

Sed tantum afuit, ut Romani quasi Etruscorum heredes ab condita Aquileia iam ipsi omni modo mercaturam facerent, ut contra primo nullum fere videantur commercium ibi habuisse. Nam ut omittam, mercandi studium tum demum civitatem Romanam amplexam esse parumque habuisse pervulgatum atque excultum, inprimis reipublicae causa omne commercium necessario fuit in exiguum conclusum aut omnino plane intermissum. Neque enim senatus intererat, barbaros frequentiore mercatorum aditu et crebriore usu atque consuetudine ad Italiam quasi allici[1], neque merces ad id tempus venditatas, velut inprimis arma tela omniaque quae ad usum belli pertinent, barbaris licuit adportari, ne auctis eorum rebus bellicis salus coloniae totiusque Italiae in maius etiam periculum adduceretur[2].

---

nung des Horizontes der italischen Civilisation. Die vereinzelten Spuren, die wir an der Vaukluse und am grossen Bernhard, bei Innsbruck und im Murthal zerstreut finden, sind ebensoviele Spuren des Kulturzuges, der von den Thälern des Arno und Po ohne Zweifel auf den für und durch den Handel gebahnten Strassen an und über die Alpen vordrang. — Wer erwägt, wieviele Mittelglieder zwischen dem Eindringen der fremden Civilisation und der Verwendung der fremden Schrift auf Stein und Metall notwendig liegen müssen, wird den Einfluss, der von Italien aus hier sich geltend machte, nicht nach dem Maass der geringen Ueberreste messen, die auf uns gekommen sind". Praeter Etruscos inprimis Massilienses in his regionibus venditandi causa commeasse permulti nummi ibi reperti, qui massaliotica signa prae se ferunt, aperte demonstrant. cf. Budinskyum: Ausbreitung d. lat. Spr. p. 159. Frequentissimam navigationem in mari Adriatico constat etiam Corcyraeos habuisse; de qua tamen re parum certi habemus traditum.

[1]) Ex iis quae de rebus ante coloniam deductam gestis traduntur, luculenter apparet, quam anxie Romani omnem barbarorum accessum studuerint arcere; cf. Liv. 39, 22, 45, 54; 40, 17, 18.

[2]) Ius commercii parcissime datum solummodo pro beneficio singulis barbarorum gentibus esse concessum significat Liv. 43, 5, quo teste petentibus Carnis Istrisque praeter ceteros datum est, ut denorum equorum commercium iis esset educendique ex Italia potestas fieret.

Quae tamen res non impedit, quominus statuamus, his quoque temporibus singulos mercatores ex Roma urbe ad alpinas gentes penetrasse. Quo factum est, ut uno fere saeculo post, cum rumor Italiam pervaderet regionis Noricae auri fertilissimae, plures iam metallici ac fossores lucri cupidi illuc proficiscerentur. Ex iis autem, quae de abundantia auri tunc reperti traduntur [1]), probabile fit, crebrius iam Romanos compulsos esse ad obeundas regiones illas opulentas atque opimas. Itaque quamvis Taurisci primo advenas metallorum fructu studuerint prohibere omnesque operis socios peregrinos arcere, tamen et maxima auri spe illecebrisque et Noricorum humanitate in suo genere iam exculta victuque expolito factum est, ut frequentior usus atque consuetudo inciperent esse. Quas necessitudines in maius etiam consentaneum est crevisse, cum a. 115 foedus atque amicitia inter Noricos et Romanos facta essent [2]). Hac aetate non dubium est, quin primum aliquid valuerit eximia illa loci praestantia, qua urbs caput regionis paulatim coepit exsistere. Latius sane commercium, cum sub foederis illius praesidio parum firmo non potuisset efflorescere, [3]) Augusti demum aetate, postquam regiones Alpibus utrimque subiectae omnes plane devictae Romanorumque imperio additae sunt, amplissimum celeberrimumque locum ibi coepit habere. Hac aetate quo magis quasi forum amplificabatur eiusque fines propagabantur, eo latius necesse fuit Aquileiae commercium patere. Ipsius autem urbis amplificationem adiuvabat etiam ea res, quod relicto tunc vetere mercandi genere novum

---

1) Strab. IV, 6, 12 p. 208 Polybio auctore narrat haec: *Πολύβιός φησι, ἐφ' ἑαυτοῦ κατ' Ἀκυληίαν μάλιστα ἐν τοῖς Ταυρίσκοις τοῖς Νωρικοῖς εὑρεθῆναι χρυσεῖον οὕτως εὐφυὲς ὥστ' ἐπὶ δύο πόδας ἀποσύραντι τὴν ἐπιπολῆς γῆν εὐθὺς ὀρυκτὸν εὑρίσκεσθαι χρυσόν . . . . συνεργασαμένων δὲ τοῖς βαρβάροις τῶν Ἰταλιωτῶν ἐν διμήνῳ, παραχρῆμα τὸ χρυσίον εὐωνότερον γενέσθαι τῷ τρίτῳ μέρει καθ' ὅλην τὴν Ἰταλίαν κτέ . . . .*

2) Mommsenus, Röm. Gesch. II, 169 sq. Zippelius l. l.

3) Aetate iam reipublicae liberae commercium Aquileiae viguisse vel inde apparet, quod Ciceronis iam temporibus portorium peregrinarum mercium ibi institutum fuisse accepimus. cf. Cic. pro Font. I, 2. CIL V, 703, 791, 882 cet. Maionica, Epigr. p. 21.

quoddam in usum veniebat [1]). Etenim si minus instituta at certe exculta est illis temporibus ea negotiandi ratio, ut mercatores iam non ipsi obirent ea loca, quibus venditandi necessitudo fuit, ut contra singula quaedam emporia coepissent exsistere, in quibus quasi mercium receptaculis loca quae propius longiusve circumiacebant, facilem habebant venditionem. In his emporiis cum maxima rerum omnium venalium copia quae aderat facillimum lucrum videretur proponere, non mirum est ex Roma Italiaque universa multos negotiandi causa consedisse. Itaque Aquileiam quoque ingenti negotiatorum multitudine, quae undique spe et cogitatione quaestus adducebatur, haud mediocriter crevisse facile concluditur. Namque eam urbem, cum et natura situque et condicione gentium proxime incolentium emporium quasi factum videretur esse, tum inprimis viarum undique convergentium celebritate et frequentia maxime efferri necesse fuit. Quae viae cum commercii magnitudinem clarissime demonstrent atque illustrent, iam paulo uberius ita enumerentur, ut a viis ex ipsa Italia vergentibus exordiamur [2]).

Ut omittam devia illa ac difficilia itinera, quibus antiquis temporibus mercatores septentrionem versus ex Italia commeasse verisimile est, iam paulo post Aquileiam conditam invenimus a Romanis in regione Transpadana vias stratas ac munitas esse. Inter quas prima videtur fuisse ea, quae a T. Lusco [3]) nomen recepit quaeque ab Aquileia ferebat Concordiam. Qua ex urbe finitima duo patebant itinera: unum fuit via Postumia, quae a. 148 strata per Veronam, Mantuam, Betriacum, Cremonam Placentiam, amplissimas civitates, ducta mare Tyrrhenum cum Adriatico iunxit; alterum fuit via Aemilia Lepidi, quam, cum primo ab Arimino ad Bononiam usque

[1]) Handbuch der class. Altert. Wiss. IV. 848.

[2]) Uberrime de singulis viis quae Aquileiam convergebant, disputavit Maionica, Aquil. p. 22 sqq.

[3]) T. Annius Luscus inter tresviros illos erat, qui a. 169 alteram colonorum deductionem administrabant. cf. Liv. 43, 1, 5; 17, 1. — De via Annia quae traduntur composuit Maionica l. l. p. 23 A. 1., quae de situ stationum locorumque explorata habuit, uberius tractavit Gregoruttius in Arch. triest. XI et XII, 151 sqq.

pertineret, brevi post Aquileiae deductionem ad eam usque urbem productam esse verisimile est [1]). Iisdem iam fere temporibus (a. 132) via Popillia strata ac munita est, quae cum Hatriam attingeret interque Altinum et Patavium via Aemilia exciperetur, recto itinere Aquileiam cum Italia coniunctam habebat [2]). Denique paulo diligentius contemplanti viarum multitudinem, qualem tabula geographica Galliae cisalpinae exhibet, satis apparebit, et ad finitimae regionis oppida et ad reliquam Italiam Aquileiae fuisse permulta itinera aditusque mercatoribus facillimos.

Sed tamen ad commercii magnitudinem recte intellegendam graviore etiam momento sunt atque pluris aestimandae permultae illae viae, quae septentrionem et orientem versus ab urbe ferebant. Inter quas nobilissima est ea, quae per Ocram montem, quam constat esse partem Alpium Iuliarum maxime depressam, Pannoniam versus ducta iis iam temporibus, quae ante Romanorum adventum fuerunt, praecipuum mercatorum iter videtur fuisse [3]). Quam cum viam Anniam recto itinere quasi continuo proferret et per Aquileiam ab occidente orientem versus transiret [4]), proxime urbem verisimile est vocatam fuisse viam Geminam [5]). Sontium transgressa ferebat ea via propter Fluvium frigidum et superato Ocra monte attingebat Longa-

---

[1]) Facillime certe, si hanc sententiam sequimur, iunguntur opposita inter se Livii (29, 2), et Strabonis (V, p. 333) testimonia. — M. Aemilius Lepidus cos. 187. Cum Aquileia a. 181 demum condita esset, viam Aemilii Lepidi posteriore tempore ad eam usque urbem productam esse verisimile est.

[2]) CIL V, p. 219, 225, 239. cf. n. 8007.

[3]) Genthius, Etrusk. Tauschhandel p. 73 sq. Mommsenus, CIL III, p. 483, V p. 75, 83.

[4]) Quam ob rem suo iure nonnulli probabile duxerunt, eam viam agrimensores coloniae constituisse decumanum maximum, collata Hygini adnotatione (cf. p. 179): quibusdam coloniis decumanum maximum ita constituerunt, ut viam consularem transeuntem per coloniam contineret.

[5]) Pluribus de hac via disserunt Maionica, Aquil. p. 23 A. 3. Arch. epigr. Mitt. aus Oesterreich IV, 85. Mommsenus CIL V, p. 935. CIL III, p. 483. V, p. 75, 83. — CIL V, 7989 memorat Maximinum imperatorem „viam quoque Geminam a porta usque ad Pontem . . . . longe temporis labe corruptam muniisse ac restituisse“. — Gregoruttio teste (cf. Mitt. d. CComm. 1885, p. 110) vestigia adhuc reperta demonstrant, viam fuisse

ticum et Emonam [1], e qua urbe paulatim coepit decurrere ad Savum flumen et Celeiam urbem. Unde constat sic bivium fuisse, ut dextrorsum procederetur praeter Savum flumen iterque fieret Sisciam, dehinc in regiones Danuvianas Ponticasque: ea vero pars, quae sinistrorsum abiit, attingeret Poetovionem Sabariam Scarbantiam iterumque divisa ferret et Carnuntum et Vindobonam. Quam viam omnium fuisse principem ac celeberrimam, cum ex ipsis quae dixi oppidorum nominibus, tum ex ea re apparet quod facillimum iter ad Pannoniam atque Daciam, provincias opulentissimas, praebuit ac sola fere in his regionibus omne commercium habuit inter orientem et occidentem.

Sequitur deinceps, quod ad celebritatem attinet, via Iulia Augusta, quae ex Aquileia per fertilissimos agros Foroiulienses septentrionem versus duxit ac superatis Alpibus Carnicis apud Tiliaventum flumen in duas diffundebatur partes. Ex quibus ea pars, quae sinistrorsum discessit, Iulium Carnicum, Loncium, Aguontum, Littanum transgressa abiit in frequentissimam viam per Breunorum fines factam, qua Verona et Augusta Vindelicorum recta iungebantur. Haec autem via [2], qua antiquissimis iam temporibus mercatores usos esse inventa quaedam originis Etruscae testantur ab Augusto munita ac restituta ad Germanos inprimis aditus facillimos ac commodissimos permisit. Neque minus ea pars, quae a Tiliavento orientem versus deflexit Dravumque flumen sequebatur, quasi facta videbatur esse, ut Aquileiensium commercio prodesset. Namque ferebat et Virunum, celeberrimum

---

quadraginta pedes latam, i. e. altera latiorem, quam viae Romanae plerumque fuerunt; unde nomen aperte ducendum est. Qua ex latitudine singularem frequentiam atque celebritatem apparere nemo negabit.

[1]) Notabile est complura castella propter viam Geminam disposita (velut Praedium Pullianum) praesidio viatoribus fuisse: denique a Castris initium habuerunt maiora itinerum praesidia, „claustra ac munimenta Alpibus imposita". Sed ne his quidem rebus factum esse, ut in frequentissima via iter plane tutum esset, demonstrat Antonii Valentini exemplum (cf. Maionicam, Epigr. p. 7), qui haud ita procul ab Aquileia in Alpes Iulias (sic!) loco quod appellatur Scelerata a latronibus interfectus est.

[2]) CIL III p. 589. V p. 169, 936.

mercatorum oppidum, et Noreiam, antiquum incolarum caput, quod ob metalla Romanos frequentissime constat adisse. Denique Virunum recto itinere iunctum etiam fuit cum Iuvavo, cui oppido amplissima trans Alpes regio patebat atque subiecta erat.

Ut commercium cum Noricis maxime offloresceret effecit tertia quoque viarum, quae Aquileiam convergebant: via ad Silanos. Quae cum transgrederetur Forum Iulium iuxtaque Natisonem flumen ferret, rectissimum habuit iter atque brevissimum [1]) inter Aquileiam ac Virunum.

Maxime celebris denique fuit ea etiam via, quae mediam per Histriam praeter Tergeste duxit ad Tarsaticam [2]) Haec ut Dalmatiae potissimum Illyriaeque gentes Romanorum commercio subiunxit, ita haud tenuiter videtur aestimanda ob eam rem, quod cum producta longius esset Sisciamque attigisset, abiit in celeberrimum illud Pannoniae iter, quo Pontum Euxinum Adriaticumque mare iuncta fuisse supra diximus.

Haec fere celeberrima fuerunt itinera in summa viarum copia, qua Aquileia urbs a tribus partibus videbatur circumclusa. Haud enumero permultas illas vias, quae per transversum ferentes oppida seorsum posita vicosque longinquos commercio patefecerunt itinerumque quae supra dixi celebritatem magnopere auxerunt. Sed ne inter has quidem vias perspicuum est defuisse, quae celebritate haud contemnenda florerent: veluti via quae ab Aguonto per Teurniam ac Virunum ad Celeiam ferebat [3]), vel ea, qua Iuvavum et Ovilava iungebantur [4]): alias

---

[1]) Quam viam habet tabula Peuting., neque vero plenum stationum numerum commemorat neque paucarum quas significavit stationum locos explorate indicat. Exstitisse tamen quondam eam viam haud negaverim, quamquam tab. geographica CIL tomo V affixa eam non exhibet.

[2]) cf. Maioniam. Aquil. p. 24 A. 1. Hic viam per ipsum Tergeste facit ita transeuntem, ut inde trivium esset atque una via iretur Tarsaticam, altera Polam tertia Emonam. Qua cum re non consentiunt tab. geogr. in CIL tomo V, et Nissenus, Ital. Landeskunde. cf. Mommsenum CIL V p. 75.

[3]) Quam viam a. M. Aurelio ac L. Vero restitutam esse traditum est (aa. 161—169). cf. CIL III. 5711.

[4]) Kenner. Mitteil. d. CComm. XI, p. LXXVI sqq.

ut omittam. Denique quo magis viae proferebantur factis itineribus creberrimis et in Germaniam et in Daciam, provinciam opulentam, eo magis consentaneum est commercii incrementa in ipsam urbem redundasse. Curam autem viarum in his regionibus vel sternendarum vel restituendarum ne posterioribus quidem temporibus imperatores omisisse multa luculenter demonstrant[1]. Atque harum viarum unamquamque vel in Pannonia vel in Raetia Noricove vergentem aliquid profuisse Aquileiensium commercio ex artissimo ipsius urbis cum tota regione connexu satis apparebit.

Sed praeter commercium quod Aquileia per vias illas fecit, non minoris momenti videtur fuisse amplissima negotiatio per mare Adriaticum facta. Etenim navigatio ineunte imperatorum aetate magnopere aucta[2], cum emporium ibi repperisset maxime opportunum, non multo post celeberrimo portu tanta cepit incrementa, ut merces omnes naviumque onera, quae per mare Adriaticum trahebantur, illuc maximam partem confluerent. Probabile autem est mercatores paulatim coepisse, terrestri itineri per viam Popilliam vel Aemiliam faciendo praeponere maritimum, quippe quod maiorem haberet non solum celeritatem verum etiam commoditatem. Namque etsi paululum seposita[3] fuit tamen ipsa urbs cum mari iuncta et fluminibus rivulisque, qui ex montibus decurrebant, et alveis manu factis.

---

[1]) Insigni viarum cura de Aquileia urbe videntur bene meriti fuisse inprimis imperatores: Septimius Severus, Maximinus, Constantinus, Constantinus II, Constantius Chlorus, Valentinianus, Valens; cf. CIL V, 7989. Arch. epigr. Mitt. VI, 88 sqq. CIL III, 5721, 5723, 5725, 5739, 5740, 6528. Denique ut saepissime invenimus Romanos imperasse militibus, ne otio ac desidia corrumperentur, vias sternendas ac muniendas neque harum rerum immunitatem ne veteranis quidem dedisse, ita etiam in his regionibus militum opera saepenumero viae munitae ac restitutae videntur esse. cf. CIL III, 3200, 3708; 1627. Etiam Tacitus (ann. I, 20) in enarrandis rebus a. 14. p. Chr. gestis mentionem facit manipulorum ex Pannonicis legionibus Nauportum missorum „ob itinera et pontes et alios usus".

[2]) Friedlaender, Sittengeschichte II, 58 sq.

[3]) Non ad ipsum litus Aquileia sita fuit, sed aberat a mari paulo plus LX stadia secundum Strabonem (V, 1, 8 p. 214) vel XV m. p. secundum Plinium (n. h. 3, 18, 12, 6).

Quarum rerum favore fieri potuit, ut merces et a septentrione et a meridie adportatae in mediam usque urbem pervenirent incolisque esset refertissimum forum et mercatoribus commodissimum lucrum. Quamquam maxime floruit negotiatio in portu celeberrimo, qui ante oram parvis insulis refertam sepositus erat alteramque quasi urbem ac provinciam maritimam effecit, cui sui magistratus suaque iura erant[1]). Et rerum navalium industria ac fabricatio et frequentissimi nautarum ac mercatorum aditus effecerunt, ut ea quoque civitas celerrime cresceret magnamque in auctoritatem incolarum multitudine perveniret. Partem vel Misenensis vel Ravennatis classis ibi in statione fuisse non solum titulis[2]) quibusdam classiariorum nuper repertis verisimile fit, sed probatur etiam ipsa necessitate navigationis expeditae atque tuti commercii[3]).

Denique notabile est vel flumina, quae interiecto illo aquarum divortio orientem versus ex Alpibus profluunt, Aquileiensium utilitati paruisse. Etenim memoriae proditur[4]), imperatorum aetate merces atque onera Aquileiam deportata saepenumero plaustris ad Nauportum advecta esse atque in

[1]) Vicum portensem aetate liberae iam reipublicae Aquileiam habuisse eo loco, quo postea Gradus fuit, multa demonstrant. Uberius de portu cet. disseruit Kandlerus: di Aquil. Romana (Arch. Triest. I, 93 sqq.). cf. etiam Schreineri dissertationem de Grado oppido (in Encycl. ab Ersch. et Grub. edita, I, tom. 78, s. v.).

[2]) cf. CIL V, 774, 910, 938, 960. 9659. — Certe posteriore aetate classis Venetum stationem ibi habuit. cf. Not. Dig. Occ. XLII, 3, 4 p. 215 Seeck. — In Arch. triest. tom. XI p. 267 Gregoruttius publici iuris fecit titulum, quo Acilius quidam, miles legionis VIII. appellatur missicius. Simillime probabile est saepius milites, qui circa illam regionem stativa habebant, stipendia in classe meruisse. cf. l. l. p. 269/70.

[3]) Cogitari etiam potest, classis partem ibi stationem habuisse ob portorium maritimum, quod ibi institutum fuisse iam commemoravi. — Ceterum silentio hic non praeteream, diligentius si quis contempletur multitudinem stationum, quibus portoria ac vectigalia prope Aquileiam exacta sint, facile eum intellecturum esse, dubio iure imperium Romanum „ob vectigalium immunitatem“ (cf. Friedl. Sittengesch. II, 56) efferri. Aliquot vectigalium stationes prope Aquileiam institutas enumeravit Marquardtus, St. V. II, 273, AA. 3, 5. cf. etiam Iungium, R. L. 333.

[4]) Strabo V, 1, 8; 6, 12. IV, 6, 9, 10.

naves imposita pervenisse a Corcora, quod flumen in Savum effunditur, ad Danubium Pontique terras. Itaque ut ab Aquileia initium habuerunt pedestria duo itinera, quae ad orientem vergebant, ita haud procul ab ipsa urbe onerabantur naves, quae per Istrum flumen occidentis et orientis terras quodammodo iungebant [1]).

Quamquam ex his, quae supra disputata sunt, satis potest intellegi, commercium maxime fuisse in causa, cur Aquileia tantum polleret summumque potentiae gradum teneret, tamen pauca tantummodo de re ipsa traduntur argumentisque invictis probantur. Namque etsi in titulis saepius commemorantur artes complures atque collegia quaedam, qua ex re haud inepte potest aliquid coniectari de commercio artissime cohaerente cum artibus, tamen huic rei minus tribuendum videtur esse pro graviore illa, quod commercium Aquileiense maxime continebatur transvectione. De cuius commercii genere ac magnitudine cum nihil fere notum sit, nisi quod ex urbis situ tem-

[1]) De commercio antiquitus iam inter Hadriaticum mare et Ponticum facto videtur obscure quaedam significare locus Pseudo-Aristotelicus (περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. c. 104 p. 839 Bekk.): Ad mare Adriaticum incolere gentem, cuius agri Histriae finitimi terminentur tam altis montibus, ut ex eorum vertice cernantur naves in Ponto Euxino commeantes. Simillima Polybium (Strab. VI, 313 cf. Liv. 40, 21) invenimus enarrasse, cum adderet, inter montes illos atque Pontum esse locum quendam, quo mercatores et ab Euxino et ab Adriatico mari ad communem mercatum solerent convenire. Quas narrationes verisimile est ab ea re natas esse, quod revera antiquitus inter Pontum et Adriam commercium per flumina factum esse apparet. Locum mercatus illius explorare videtur et difficillimum et superfluum: sed haud inepte potest cogitari de Nauporto, quod oppidum antiquis iam temporibus emporium videtur fuisse mercium ab Adriatico mari ad Ponticas regiones transferendarum. Atque cum locus quasi in medio situs esset inter occidentem et orientem et utrumque mare quodammodo coniungeret, haud mirum certe est marina numina culta esse atque Neptunum Aecornamque aedes ibi habuisse. cf. CIL I, 271. — Dubitari etiam potest, an commercii antiquissimi memoria cognoscenda sit ex fabula de Argonautis tradita, quos nonnulli (Zosim. 5, 29) memorant ex Istro in Dravum et Corcoram vectos ad Timavum venisse, ad quod flumen Cyllarum equum Castor dicitur aquatum duxisse. Qua in re quod alii Nauportum alii Emonam Argonautas advenisse narrant, inde videtur explicandum, quod aetate posteriore Nauporti commercium Emonam constat transisse.

poribusque colligitur, iam ita placet nonnulla componere, ut primum de rebus, quae maxime videntur in Italiam importatae esse, tum vero de mercibus ex Italia transvectis uberius explanemus.

Ac primum quidem constat sucini, quod supra dixi, mercaturam ad posteriora usque tempora floruisse. Praeter equitem illum Romanum, quem Plinius (n. h. 37, 45) narrat a Nerone missum esse ad maris Baltici oras, ut ob ludorum sollemnitatem maximam sucini vim redimeret, saepius mercatores a Carnunto, oppido celeberrimo profectos in intimas Germaniae partes penetrasse satis multa argumenta, quae ipsa terra inter Albim Viadrum Vistulamque interiecta hac aetate edidit, dilucide probant [1]). Traiani inprimis temporibus sucinum inter res venales praecipuum locum tenuisse videtur demonstrari magna nummorum copia, quae in Germanorum finibus reperta imperatoris illius aetatem prae se fert [2]). Neque desunt testimonia, quibus manifestum est, id commercium quarto etiam saeculo p. Chr. n. permansisse [3]). Quam mercem etiam in transvectione per Aquileiam facta maxime vendibilem fuisse haud temere mihi videor iudicare.

Praeter sucinum inter res per Aquileiam importatas sine dubio locum maxime praecipuum tenuerunt et quae in metallis Noricis effodiebantur et quae circa Noreiam fabricabantur ferramenta. Quas merces in Italiam maxime invectas fuisse vel inde apparet, quod Romani, quamquam metallorum omnium fertilitate nullis terris Italia cessit, vetere consulto patrum Italiae parci iubentium ipsius patriae metalla exercere vetiti erant.[4]) Ferraria inprimis metalla Norica consentaneum est Romanis magno in amore fuisse ob frequentissimum usum armorum omniumque quae ad bellum pertinent instrumentorum.

[1]) cf. e. g. Marquardtum Priv. Leb. p. 714.

[2]) De his rebus plura disputavit Sadkowskius: Die Handelsstrassen der Griechen und Römer . . . . . an die Gestade des balt. Meeres. 1877. Wibergii librum qui inscribitur: Der Einfluss der klass. Völker auf den Norden durch den Handelsverkehr, et Waldmanni dissertationem: Der Bernstein im Altertum, 1883, non licuit mihi cognoscere.

[3]) Friedlaender, Sittengeschichte, II, 63.

[4]) Plin. n. h. 3, 128 cf. 33, 78.

Huius ferri praestantia antiquitus laudata ac celebrata ne posterioribus quidem temporibus fracta est. Atque constat in Italia, quo arma atque cuiusvis generis instrumenta ex officinis fabricisque circa Noreiam institutis abierunt, Noricum ensem in proverbium prope venisse.[1]) — Ferrarias Noricas invenimus omnibus temporibus solitas esse locari neque unquam sepositas Caesari aut ab ipso fisco cultas. Ex conductoribus autem ferrariarum iterum ac saepius nonnullos credibile est Aquileiae consedisse[2]) — Ferrarias accepimus in Pannonia quoque fuisse complures. Quarum fructus ex Siscia potissimum per Aquileiam constat in Italiam transportatos esse.[3]) Eodem itinere Aquileiam Romamque pervenerunt praestantiora quoque aera, aurum argentumque.[4]) Atque praeter auri fertilitatem, qua Noricam terram potentem fuisse supra commemoravi, plures Alpium regiones probabile est auro fuisse refertas.[5]) Posteriore aetate notum est ex Dacia, provincia opulentissima, maximam auri vim in Italiam confluxisse.[6]) Ex salinis etiam apud locum hodie Hallstadt dictum, quas iam ineunte imperatorum aetate constat cultas esse, aliquem fructuum partem Romam adportatam esse verisimile est.[7]) Denique monendum videtur in qui-

---

[1]) Strab. V, p. 214. Hor. Carm. I, 16, 9. Epod. 17, 17. Plura testimonia de metalli Norici praestantia collegit Marquardtus St. V. II, 260, A. 9.

[2]) CIL III, 810. — Jungium (R. L. p. 414) nescio quo teste invenio affirmantem, ferramentarios Noricos habuisse merces Aquileiae in horreis ac fecisse ibi collegium sub Beleni tutela.

[3]) Amplissimae ferrariae prope Sisciam ipsam fuerunt. cf. CIL III, 3953 „procurator Augusti praepos. splendidissim. vecti(galis) ferr(ariarum). Ferrariae Illyricarum provinciarum memorantur a Claudiano de bell. Get. 535.

[4]) cf. CIL III, 6575.

[5]) Planta, das alte Rätien p. 14 docet complures Alpium fluvios auri fertiles fuisse. Ceterum cf. quae Kaemmelius affert: Anfänge deutschen Lebens in Oesterreich p. 90. Ex auro circa Noreiam et in Alpibus reperto probabile est factos esse nummos illos Celticos, de quibus, ut sunt difficillimi ad indicandum, uberius egit Mommsenus: d. nordetrusk. Alphabete (Abh. d. antiqu. Ges. zu Zürich VII, 242).

[6]) Jung., Rom. Landsch. p. 378 sqq. Mommsenus CIL III p. 213 sqq. Hirschfeld. Epigr. Nachlese zu CIL III, p. 368 sqq.

[7]) Kaemmelius l. l. p. 90. Kenner in Mitt. d. CComm. XI, p. LXXIV sq.

busdam locis inter septentrionem et orientem sitis marmora fuisse, quorum procuratoribus iterum ac saepius videntur imperatores ornamenta urbi destinata fabricanda detulisse.[1])

Sequuntur iam inter res praecipue ex Illyricis provinciis in Italiam advectas copiosissimi agrorum fructus, maxime frumentum, cuius rei largam copiam maximamque abundantiam constat posterioribus temporibus in Pannonia fuisse. Nam ut ob montuosam terrae naturam Noricum[2]) non fuit idoneum ad fruges efferendas agrique culturam habebat parum profectam, ita in amplissima Pannonicorum camporum planitie caesis silvis paludibusque exarescentibus res frumentariae magis magisque augebantur. Itaque quo magis annona urbis Italiaeque egebat negotiatorum cura et invectione ex provinciis facta, eo magis vendibile consentaneum est frumentum Pannonicis exstitisse.[3]) Qua in re mentione dignum videtur esse reliquas quoque regiones Danuvianas atque etiam Ponticas haud raro adiuvisse et Aquileiae commercium et urbis annonam. Velut, ut unum afferam, e Moesia Ti. Plautius Silvanus, qui Nerone imperatore legati munere ibi fungebatur, tantam frumenti vim Romam adportari iussit, ut panem redderet viliorem.[4]) Addendum huc videtur, quoniam in explicanda rerum rusticarum condicione versamur, et Pannoniarum et Norici incolas aluisse praeclarissima pecora, quae etsi humili figura ad labores tamen

---

[1]) De marmoribus apud Sirmium sitis plura enarrat Jungius: R. L. p. 422. Etiam in Dacia haud procul a Sarmizegetusa marmora fuisse memoratur. cf. Jungium, l. l. adn. 2.

[2]) Norici in paucis tantummodo vallibus paulo depressis habebant agriculturam fructuosam; sed triticum omnino non videtur esse satum. Secale illud a Plinio XVIII, 141 memoratum larga copia floruit, sed „deterrimum fuit et tantum ad arcendam famem et ingratissimum ventri." De secalis natura et genere, quod diversum fuit a nostro „Roggen." vide adnotationes apud Jungium R. L. p. 426, a. 2., Marquardtum, Priv. L. p. 414, A. 4. St. V. II, 110 A. 5.

[3]) Expos. tot. mundi p. 121: Pannonica regio, terra dives in omnibus, fructibus quoque et iumentis et negotiis cet. — S. Ambros. opp. II p. 838: frumentum Pannoniae, quod non severant, vendiderunt. — Inscriptionem a Czörnigio p. 155 adnotatam: „Felix Aquileia Horreum Romani Imperii" ipse nusquam reperi descriptam.

[4]) cf. Orellium n. 750.

perferendas quasi facta dicuntur fuisse facillimamque habebant per totam Italiam venditionem. — Cum re pecuaria artissime cohaeret amplissimus pellium mercatus ex Pannonia in Italiam institutus.[1]) neque minus fabricatio caseorum Alpinorum, quos nobili loco vel apud imperatores habitos maximeque in Italiam vendidatos esse constat.[2]) Posteriore aetate invenimus etiam lanas ex Norico in Italiam devectas esse,[3]) neque vero satis perspicuum est, num id commercii genus vere coeptum sit in maius unquam augeri. Praeclaram mellis copiam, quam Norici[4]) commercio praebuerunt, aliquantum augebat Raetia, quae provincia cum alias res tum inprimis lignum ac materiam large suppeditavit.[5]) Denique vinum, quod in Raeticis regionibus serebatur, nobilissimum erat bonitatemque tam eximiam habebat, ut iam Augusti temporibus in claritate quadam esset admissumque ad imperatoris cenam a negotiatoribus vinariis magno redimeretur.[6])

Videntur autem ineunte imperatorum aetate, cum vinearum cultura ob uberrimos reditus ita coepisset crescere, ut agriculturae studium plane negligeretur.[7]) loca inprimis circum Aquileiam ipsam posita celerrime repleta esse vinetis fertilissimis. Probi imperatoris temporibus in Pannonia quoque et Dacia et Moesia accepimus studiosissime vites satas esse vinumque nobilius quam antea esse cultum.[8]) Atque tradunt, illarum regionum vina haud ingrata Italicis fuisse. Neque vero ea aequabant nobilitate ac bonitate illud vinum, quod proxime Aquileiam ipsam gignebatur. Verum sane est nullum

---

[1]) Strabo V, 1, 8.

[2]) Caseum alpinum non defuisse cenae imperatoris, apparet ex iis, quae de Antonini Pii morte traduntur, cf. vit. c. 12: cum Alpinum caseum in cena edidisset, avidius nocte reiectavit cet.

[3]) cf. Edict. Diocl. XVI, 79 βίρρος Νωρικός. Lanam Timavi memorat Mart. 8, 28, 7.

[4]) Strabo, VI, 6, 2, 9.

[5]) Secundum Plin n. h. XVI, 39 Tiberius, cum restitueret Romae pontem incendio deletum, abietes Raeticas advehi iussit.

[6]) Suet. Aug 77. Verg. Georg. II, 96. Colum. R. R. III, 2. Plin. n. h. XIV, 16, 27, 41, 47.

[7]) Plura de hac re disseruit Marquardtus, Priv. Leb. p. 443 sqq.

[8]) Eutrop. 9, 17. Aurel. Vict. Caes. 37.

aetatis Augusteae poetam Aquileiensis vini ardore inflammatum eius laudes praedicasse; atqui verisimillimum est iam tum inter nobilissima illud esse habitum. Atque cum omnia vina circa Aquileiam nata laudantur, tum potissimum accepimus laudatissimum fuisse id vinum, quod a Pucino castello proxime ad urbem sito nomen recepit.[1]) Nigro colore, admirabili sapore habebat illud inprimis virtutes medicas, quae a scriptoribus[2]) multum laudantur. Saluberrimum fuisse id vinum demonstratur illa quoque re notissima, quod Livia dicitur affirmasse, debere sese vini Pucini usui octaginta duos vitae annos.[3]) Itaque cum ob generositatem virtutesque quas dixi merito celerrime vina illa in auctoritatem et nobilitatem pervenirent multumque venditarentur[4]) in Italiam, haud mirum est, totius regionis incolas in vitibus serendis maxime studium collocasse. Sed memorabile est, ob praestantissimam terrae fertilitatem vitium culturam quasi una fuisse iunctam cum agrorum arborumque cura. Traditum enim est campos obsitos fuisse

---

[1]) Vinum Pucinum montes versus in apricis collibus gignebatur; qua de causa Plinius: „coquitur"; cf. Plin. n. h. XIV, 6: gignitur in sinu Adriatici maris, non procul a Timavo fonte saxeo colle maritimo afflatu paucas coquente amphoras. cf. Marchesettam in Arch. triest. V, 431 sqq.

[2]) Velut is, qui Dioscoridis libros commentario instruxit, proprietates virtutesque medicas Pucini, quod sua aetate maxime probatum fuisse ait, his explicat verbis (cf. Comment. Diosc. in libr. V, 7 p. 1325): Haec (sc. vina, Pucinum et Vipacum) pauce modesteque pota ad tuendam sanitatem mirifice conferunt Id quoque ipse experientia in me facta comperi atque etiam omnibus ingenue testari possum; nam cum multis ante annis diuturnus ventriculi dolor male me habuisset, quem totius corporis imbecillitas subsecuta est, ex Pucini et Vipaci tantum usu me pristinam meam sanitatem et integrum robur adeptum esse certo scio. Ob id mirandum non est, si Plinius magnis laudibus praedicavit Pucinum . . . Cuius certe testimonio plane subscribunt rustici lapidiae incolae, quippe cum ii vinis Pucino cognatis in cotidiano potu utantur, rarissime aegrotant et longaevam admodum vitam traducunt, adeo ut plurimi reperiantur, qui nonagesimum et centesimum annum attingunt.

[3]) Plin. n. h. XIV, 6: (Livia) annos vitae Pucino rettulit acceptos, non alio usa.

[4]) Ob venditionem in Italiam factam tantam constat suppetivisse doliorum copiam, ut Maximinus cum urbem peteret, pontem ex iis posset iungere. cf. Herod. 8, 3.

arboribus frondosis, maxime ulmis, quarum foliis pascebantur incolarum pecora; inter ordines autem arborum consitae erant fruges arboresque ipsae pampinis fuerunt maritae continuis interque sese suspensis. Qua re factum est, ut tota regio faciem quasi sollemnem indueret; crederes esse eam sertis coronisque diligentissime redimitam.[1]) Accedebat, quod pomiferarum quoque arborum multitudinem tantam fuisse educationemque tam claram, ut terra videretur esse pomarium bene ornatum.[2]) Denique in summa terrae Veneticae fertilitate iucundissimaque temperie[3]) consentaneum est res rusticas abunde suppetivisse omnes.[4]) Itaque ne singulas persequentes diutius in re manifesta versemur, iam adeamus ad cognoscendas illas res, quae ex Italia per Aquileiam maxime videntur exportatae esse in Illyricas provincias.

Quas res apparet maxime fuisse varias. Nam credibile per se ipsum est omnes fere res et natura et manu factas ex Italia barbaris humanitate magis magisque expolitis advectas esse. Quamquam e terrae frugibus nihil fere nisi oleum ac vinum videtur exportatum fuisse, quorum illud ab anno 702 p. u. c. venditionem habebat apud barbaros, hoc vero tum inprimis vendibile fuit, cum Italia arbitrium vitium serendarum

---

[1]) Hunc regionis adspectum habuit Maximini exercitus, cum ex Alpibus descenderet. cf. Herod. 8, 4, 5.

[2]) Inprimis mala apud Aquileiam nata, quae vocabantur Mattiana sive Saligniana (Ed. Diocl. VI, 65) in summa claritate fuisse testatur Athenaeus III, 82 c: *ἐγὼ δ᾽ ὦ ἄνδρες φίλοι, πάντων μάλιστα τεθαύμακα τὰ κατὰ τὴν Ῥώμην πιπρασκόμενα μῆλα, τὰ ματτιανὰ καλούμενα, ὅπερ κομίζεσθαι λέγεται ἀπό τινος κώμης ἱδρυμένης ἐπὶ τῶν πρὸς Ἀκυληΐα Ἄλπεων.* — cf. Marquardt. Priv. Leb. 427, 4. Baehrens. P. L. M. IV, p. 303.

[3]) Veneticae terrae fertilitatem invenimus esse saepissime a scriptoribus celebratam mirumque in modum amplificatam. Huc cadit, quod gallinae narrantur bis die ova gignere, oves dicuntur bis anno agnos parere ac plerumque tres vel quattuor fetus edere. Plura de hac re collegit Nissenus, Ital. Ldsk. I, 492.

[4]) Herod. 8, 6, 3 tradit vel in exitu obsidionis a Maximino factae maximam omnium rerum copiam civibus fuisse: *προὔθεσάν τε ὑπὲρ τῶν τειχῶν ἀγορὰν, ὤνιον παρέχοντες τροφῶν τε παντοδαπῶν καὶ ποτῶν ἀφθονίαν ἐσθῆτός τε καὶ ὑποδημάτων καὶ ὅσα ἐδύνατο παρέχειν ἐς χρῆσιν ἀνθρώποις πόλις εὐδαιμονοῦσα καὶ ἀκμάζουσα κτέ.*

sola fere haberet[1]). Sed opera et arteficia ac cuiusvis generis suppellectilem quamvis vilem utpote quae res Celtarum Germanorumque animos facillime delectarent, magno numero ad Noricos et Pannonicos, postea vero ad barbaros etiam trans Danubium incolentes[2]) haud temere concluditur adportata esse. Atque ut verisimile est illarum rerum maximam vim a negotiatoribus in celeberrimum emporium fuisse coactam, ita altera ex parte haud difficile intelligitur, ipsam urbem summa hominum frequentia auctam et propter necessarios vitae usus et propter commercii facilitatem opportunitatesque habuisse plurimas artes florentes.

Non enumero singulos operarios atque artifices, qui in titulis commemorantur[3]). Sed illam placet subnectere animadversionem, quod saepius occurrunt eae inprimis artes, ad quas ipsius regionis natura atque opes quasi spectabant[4]). Quod opifices plerumque videntur habuisse collegia res est aetate imperatorum maxime frequens optimeque cum aliarum urbium institutis conveniens. Sed ut paulum ea res ad quaestiones nostras expediendas pertinet, ita pauca admodum de illa tituli narrant. Praeter collegium naviculariorum[5]), quod non solum maritimas, verum etiam mediterraneas urbes videmus haud raro habuisse, occurrunt lotores collegium efficientes[6]),

---

[1]) Plin. n. h. XIV, 1, 3. Strab. IV, 6, 2. V. 1, 8.

[2]) Commercium trans Danubium cum Hermunduris et Marcomannis factum esse significat Tac. Ann. II, 62. Germ. c. 41. cf. etiam quae Kaemmelius disserat in libri, quem saepius iam commemoravi inprimis cap. II et III.

[3]) Magnum eorum numerum invenies compositum apud Maionicam, Aquil. p. 28, quem ad numerum accedunt opifices titulorum permultorum nuperrime repertorum. cf. Maionicam, Epigr. p. 8 sqq., Arch. epigr. Mitt. IX sqq.

[4]) Veluti saepius inprimis memorantur cuiusvis generis opifices in aeris fabrica versantes (dolabrarii, excusores argentarii cet.). cf. Indd. ap. Gregorutt. et in CIL.

[5]) Colleg. navicul. Aquil. ap. Orellium n. 4082. Ceterum cf. Marq. Priv. L. 404 sqq.

[6]) Gentiles Artoriani lotores CIL V, 801. — Non praetereo hoc loco, ad lanae fabricam in ipsa Aquileiensium urbe posteriore aetate ab imperatoribus fuisse gynaeceum institutum, cui invenimus quinto etiam saeculo

inveniuntur vel saepissime collegia illa fabrum, centonariorum, dendrophororum[1]), denique aperte nominantur sectores materiarum Aquileiensium[2]). Sed praeter haec quae dixi collegia exstitisse permulta[3]), haud dubie demonstrant vestigia artium ac fabricarum complurium, quae in urbe videntur floruisse; velut lini in regione transpadana antiquitus studiosissime culti[4]) fabrica, alias ut omittam.

Quam expositionem de artibus et industria ipsius urbis quamvis carptim factam dilucide apparet ex titulis ac monu-

---

p. Chr. n. curatorem fuisse. cf. Handbuch d. class. Altertumswiss. IV p. 910. — Quod Concina p. 21, Zandonatius p. 20, iisque auctoribus Czoernigius p. 156 dicunt, imperatores habuisse Aquileiae purpurarum baphia, nullis testimoniis confirmatur. Purpurarius in tit. CIL V, 1044 occurrens nihil nisi negotiator artis purpurariae potest esse. (cf. Marq. Priv. L. p. 513).

[1]) cf. Indices ad CIL tom. V et Gregoruttium. — Fabris adnumerabantur cuiusvis fere generis operarii, velut fabri navales, argentarii, aurarii, ocularii, tignarii, cet. — De centonariis cf. Marquardt. Priv. L. p. 585, 719; de dendroph. ibid. p. 719 sqq. St. V. III, 371. 394. Praeter Matris Magnae cultum habuisse id collegium Silvani quoque cultum demonstrat Preller, Röm. Myth. I, 397. — Horum trium collegiorum coniunctio et quasi cognatio aliunde iam manifesta cernitur Aquileiae in eo, quod centon. et dendroph. communem praefectum habent (CIL V, 740) neque minus in ea re, quod collegia decreta faciunt „suffragiis universis". — Singula quaedam de his collegiis docet tit. M. Antonii Val. (cf. Maionicam, Epigr. p. 22 sq. — Arch. triest. X, 405 sq.), unde apparet collegium fuisse decuriis distributum, quibus videntur praefuisse decuriones; nominantur decuriae Maroniana et Apollinaris, sed dubium est, an addendi sint Meiorenses illi CIL V, 1703), quos Gregoruttius censet esse eosdem ac Feronienses.

[2]) Sectores mat. Aquil. CIL V, 815. — Praeter colleg. aquatorum Feron., quod supra commemoravi fortasse partem fuisse coll. fabr., occurrit etiam coll. Veteranorum (CIL V, 784). Quomodo coll. ing(enuorum) cultorum (CIL V, 8289) explicandum sit, videtur incertum.

[3]) Zandonatium (p. 19) et Czoernigium nimis temere affirmasse, triginta quinque collegia in Aquileiae titulis inveniri, recte Maionica p. 28 A. 1 animadvertit.

[4]) cf. Plin. n. h. XIX, 9—13. Helbig, die Italiker in der Poebene p. 66 sqq. Hehn., Kulturpfl. p. 152 sqq. — CIL V, 1041. Lanae fabricam in urbe floruisse supra iam adnotavi; cf. Plin. n. h. VIII. 190: „alba lana Circumpadanis nulla praefertur nec libra centenos nummos ad hoc aevi excessit ulla." In harum rerum et abundantia et praestantia vestiarii quoque mercaturam videntur fecisse haud ignobilem: velut Ti. Veturius, vestiarius tenuiarius, dec. ordinis decreto VI vir appellatur (Arch. triest. XIII, 181).

mentorum quorundam reliquiis facillime potuisse augeri; velut marmorarii opificesque lapidarii opera quaedam videntur confecisse nobilitate ac magnificentia aeque admirabilia, mussivariique straverunt vermiculata pavimenta pulcherrime composita. Sed cum dubitandum vel maxime sit, num uberior etiam harum rerum tractatio expressam imaginem redderet, tum potissimum istas artes fabricasque eo magis iam faciamus missas, quoniam hae res levius tantummodo ad commercium videntur faciendae esse. Namque ut repetam, quod saepius posui, commercium per Aquileiam factum maxime fuit positum in rerum venalium transvectione. Itaque iam pergamus paucis adumbrare, quas merces ex meridie maxime oblatas esse inveniamus.

Probabile autem est ad transvectionem ab hac parte factam Galliam cisalpinam, regionem opulentissimam, plurimas res praebuisse. Florentissima fuit in compluribus oppidis lanae fabrica praeterque gausape illud Patavinum constat ex textrinis clarissimis Parmae, Mutinae, Altini, Veronae nobile lanificium commercio suppetivisse. Figlinas haud ignobiles habuerunt Mutina et Pollentia, clarissima vero fuerunt vasa Arretina, in Arretio municipio facta.[1]) Atque splendidissimas operumque multorum fertiles verisimile est fuisse et officinas aerarias, quae Mantuae, Comi Concordiae, Veronae, et linyphia, quae Ravennae pro fisco Caesaris exercebantur.[2]) Denique eximius ille omnium rerum favor, quo universam Galliam cisalpinam prae ceteris Italiae regionibus ad extrema imperii

---

[1]) cf. Marquardtum Priv. Leb. p. 660. — Quae vasa ut inveniuntur apud Tarraconem (cf. CIL II, 4970, 519), ita haud temere mihi videor indicare advecta esse ea a negotiatoribus artis cretariae per Aquileiam in Danuvianas quoque provincias. cf. CIL III, 5833. — Ceterum officinas laterarias doliariasque et figlinas in ipsis Aquileiae agris magno ut videtur numero fuisse, demonstrant inventa quaedam apud urbem facta (cf. CIL V, 8110, 169—172). Figlinas autem videntur permulti habuisse, ut fabricarent vasa, quibus copiosissimos agrorum fructus exportarent (cf. Digg. 8, 3, 6: sicut in quibusdam fit, ut amphoris vinum evehatur, aut ut dolia fiant; cf. Digg. 33, 7, 25: Quidam, cum in fundo figlinas haberet, figulorum opera maiore parte anni ad opus rusticum utebatur.

[2]) Bluemner, Gewerbl. Thätigk. pag. 98.

tempora constat floruisse,[1]) et amplissima copia celeberrimarum urbium, quarum et frequentia et opes incredibiles fere erant, haec omnia intelligi potest contulisse ad augendum commercium, quod septentrionem versus praeter emporium Mediolanense sola fere Aquileia habuit. Ex media etiam Italia atque magna Graecia merces advectas esse „Campanamque suppellectilem" penetrasse ad Illyricos etsi non probatur certis testimoniis, habet tamen certam probabilitatis speciem. Quae res eo minus dubitationibus videtur obnoxia esse, quoniam accepimus etiam fuisse Aquileiae urbi commercium cum ipsius Asiae et Africae oppidis emporiisque celeberrimis. Etenim memoriae proditur, versatos esse ibi mercatores, ut orientales mèrces mutarent rebus ex septentrione Aquileiam deportatis.[2]) Cyrenaïci autem negotiatores oleum ac vinum, merces Africae nobilissimas, illuc devehebant ac permutando emebant, quibus rebus naves redeuntes onerarent.[3]) Sed ut hoc commercium cum Asia et orientis terris factum commune revera fuit plerisque veterum emporiis oppidisque aliquantum claris, ita multo etiam memorabilius videtur latissimum illud commercium, quod Aquileiam apparet habuisse cum regionibus Danuvianis atque Germanorum pagis remotissimis. Namque etsi constat per prima potissimum duo imperii saecula Romanos id maxime operam dedisse, ut barbaros ab imperii limitibus arcerent commerciumque cum iis in angustum[4]) concluderent, tamen verisimile est, eadem itinera, quibus sucinum transitum habebat, aliis quoque oneribus magis magisque patuisse. Itaque cum celeberrima illa via, qua

[1]) Strab. V, 1, 12. Plin. n. h. VII, 164. Nissenus in Sybeli Ephem. hist. XIX p. 256. Jung. Rom. Landsch. p. 500.

[2]) Hieron. c. Rufino III, 10: ut negotiator orientalium mercium, qui et hinc deportata vendere necesse habebat et ibi emere, quae huc rursus adveheret, biduum tantum Aquileia fuerit? — De orientis mercibus per Danuvium, Dravum cet. adportatis supra iam disserui.

[3]) Digg. XIX, 2, 61: Navem conduxit ut de provincia Cyrenensi Aquileiam navigaret olei metretis tribus milibus impositis et frumenti modiis octo milibus certa mercede. Splendidissimam famam Aquileiam in Africa habuisse docet titulus quoque Restuti CIL V, 1703: Hic iacet Restutus peleger in pace fidelis Ex Africa venit ut istam urbem videret cet.

[4]) Plura de hac re collegit Marquardtus St. V. I, 562 sqq.

Poetovionem et Carnuntum supra dixi iuncta fuisse, trans Danuvium ferret in ipsum Marobodui regnum, haud mirum videtur in domo eius Romanos negotiatores fuisse.[1]) Gravius vero illud est, quod Aquileia cum Germanis etiam ad vesperum incolentibus Rhenique accolis videtur commercium habuisse. Certe probatur aliquatenus ea res titulo quodam Aquileiae reperto,[2]) qui memoriae inscriptus est mercatoris cuiusdam, qui ex Colonia Agrippinensi negotiandi causa per Aquileiam in Daciam solebat iter facere. In summa autem multitudine expeditarum viarum, quae a Norico per Raetiam et Vindeliciam ad Rhenanum limitem ferebant, veri videtur dissimile illius mercatoris exemplum singulare exstitisse.[3])

Ingenti negotiatorum concursu undique Aquileiam facto consentaneum est incolarum multitudinem et frequentissimam fuisse et promiscuam maximeque variam. Herodianus 8, 4, 3 enarrat peregrinos ac negotiatores magnon umero ad tempus in urbe consedisse, quae vel ipsorum civium summa frequentia floruisset.[4]) — De quo incolarum numero nihil certi sane invenimus esse traditum; sed tamen cum urbis granditate ac maiestate, qualis in monumentorum reliquiis occurrit, tum amplitudine illa circuitusque magnitudine, quae certis vestigiis inventisque quibusdam manifesta sunt,[5]) probabile fit aliquid tribuendum esse Ausonio nonum locum Aquileiae inter claras urbes constituenti.[6])

---

[1]) Tac. Ann. II, 62: „nostris e provinciis lixae ac negotiatores reperti, quos ius commercii, dein cupido augendi pecuniam, postremo oblivio patriae suis quemque ab sedibus hostilem in agrum transtulerat." De latiore urbis commercio versus mare Balticum facto supra iam pauca adnotavi; ceterum cf. Sadkowskium l. l. Marquardtum Pr. L. p. 714.

[2]) cf. CIL V, 1047. — cf. etiam adnot. 97.

[3]) Commercio septentrionem versus facto haud scio an debeatur ea res, quod posterioribus temporibus notum est Aquileiae fuisse officinam monetalem (cf. Boeck. ad Not. Dign. I, p. 48. 350), quae Sisciensis officinae videtur superstes fuisse.

[4]) Herod 8, 4, 3: *ἰδίου δήμου πολυάνθρωπος*.

[5]) cf. quae Kenner et Hauser disseruerunt in: Mitt. d. CComm. 1875, p. 29 sqq. Kandler, Arch. triest. N. S. IV, 117 sqq.

[6]) Auson. de clar. urb. 7: „Non erat iste locus merito tamen aucta recenti". Nona inter claras Aquileia cieberis urbes, Itala ad Illyricos obi-

Incolarum multitudinem summa varietate fuisse vel ex ipsa emporii natura haud difficile concluditur. Ac primum quidem praeter ipsos Romanos magno numero Graecos ibi habitasse cum ex insigni loco, quem habebant Graeci in Romanorum commercio, dilucide apparet, tum maxime cernitur ex amplissima copia Graecorum nominum, quae in titulis[1]) obvia sunt. Denique nescio an eandem rem illud quoque illustret, quod ratio scribendi, quae in titulis Aquileiensibus invenitur Graecorum quodammodo rationem saepissime redolet[2]). Praeter Graeculos mobili agilique ingenio insignes ex orientis terris, inprimis e Syria atque Palaestina, multos mercatores ibi consedisse pauca tantummodo testimonia dilucide et expresse declarant[3]); sed mero casu factum esse, ut uberior testimoniorum

---

ecta colonia montes Moenibus et portu celeberrima; cet. — Ipsa urbs ut erat munimentis circumclusa etiam post amplificationem per Augustum factam modicum tantummodo ambitum habuit: sed sub ipsis moenibus florentissima suburbia exaedificabantur, quae latissime in agrum colonicum se extendebant. cf. Herod. 8, 2, 4: *μᾶλλον ἐπολυπλασιάσθη τὸ πλῆθος τῶν ὄχλων πάντων ἐξ ἀγρῶν ᾿εκεῖσε συρρεόντων πολίχνας τε καὶ κώμας τὰς περικειμένας καταλιπόντων.* De suburbanis locis plura disseruit Kandlerus l. l. cf. etiam Gregoruttium in Arch. triest. XIII, 126 sqq.

[1]) cf. Indices ad CIL tom. V et ad Gregoruttii librum.

[2]) Ratio scribendi b pro v, vel v pro b (e. g. Salbe = salve), de qua Steinbuechel—Rheinwall (in Arch. triest. III, 227) pauca adnotavit, habet in titulis Aquileiensibus permulta exempla. cf. CIL V, 1625. 1652. 1715. 1728. 1597. 1598. 1609. 1610. 1614. 1642 1664. 1709. — 804. Multo vero memorabiliores videntur esse formae quaedam genetivi; velut Italices (914), Africaes (1039), Iuventiaes (1006), primes (892), Lydes (1388). Simillime graecam originem prae se fert litterae h neglectio in abuit (914. 1707), abes (1712), unc (1642), ora (914. 1535. 1634).

[3]) De Syris, qui imperatorum aetate praestantissimum in Romanorum commercio locum habebant, nonnulla disseruit Mommsenus, Röm. Gesch. V, 466 sqq. Praeter nobilissimas res, quae in Syria ipsa fabricabantur, constat maximam mercium partem ex orientis terris per Syriam ad occidentis gentes pervenisse. „Das ist diesen Ursitzen des Handels immer geblieben, dass die sidonischen Männer und ihre Landesgenossen ihre Waaren nicht bloss den Ausländern verkauften, sondern sie ihnen selber brachten; — syrische Kaufleute und syrische Faktoreien waren in der Kaiserzeit ungefähr ebenso überall zu finden, wie in den fernen Zeiten, von denen Homer erzählt“ (cf. Mommsenum l. l.). — Permagnus Syrorum numerus, qui Concordiae inveniuntur (cf. Momms. l. l. p. 467, 3) ratiocinationem de Aquileia

copia non suppetat, haud temere colligere licet ex summa Asianorum frequentia, quam Ravennae (cf. Apoll. Sid. I, 8) Concordiae aliisque in emporiis apparet fuisse[1]).

Summa ingenii morumque diversitas, quam Graeci Asiani Italici habebant, Aquileiae quoque aequabilitatem quandam et iuris et morum videtur genuisse. Etenim cum in omnibus fere Romanorum municipiis tum potissimum in iis, quae mercatura florerent, constat huiusmodi studia ac voluntates cerni. Aquileiae autem iura opes potestatemque iam non fuisse illibata penes nobiles gentes dignitatisque gradus si non sublatos at certe plane neglectos fuisse praeter alias res declarat eximius iste dignitatis locus, quem libertinos apparet tenuisse[2]). Neque minus notabile est, loco aperte

---

permittit haud contemnendam. Syri Aquileiae habitantes memorantur CIL V, 1633. 1679 — 785 memoratur Cassianus quidam, ex Cyrro, Syriae oppido, qui decurio Iriae fuit. cf. etiam CIL V, 898. 1032 — E gente Erbonia, quae Iulii Carni ei saepius occurrit, Sex. Erbonius fuit (Arch. triest. XI, 283), qui ipse se vocat Surum. — Gregoruttio teste reperti sunt hebraici quoque complures tituli, quos equidem non vidi ullo loco publici iuris factos esse. — Judaeus aperte nominatur in titulo apud Maionicam (Epigr. p. 21) descripto: L. Aiacius Dama L. et P. libertus Judaeus portorii v(ilicus?). Cum titulus ille aetatis sit reipublicae liberae, Gregoruttius haud inepte conicit, Judaeum illum iam per Pompeii expeditionem Romam Aquileiamque pervenisse.

[1]) Eximius urbis opulentissimae splendor barbaros etiam haud raro ad considendum videtur allexisse. Cui opinioni aliqua fides accedit ex nominibus quibusdam, velut Freia Taracobriscinius. Maionica Epigr. p. 8 confert cum his: Crobromara (CIL III, 3598) et Freioverus (Wilmanns, Exempla 1552). Vitiosa vocabulorum quorundam scriptura facile offendit. Nomina illa qui habebant haud scio an Germanica stirpe fuerint. Sed si quis Noricis vel Pannonicis eos attribuat, defendit is, ne posterioribus quidem temporibus indigena idiomata plane interisse. cf. Jungium Rom. Landsch. 499 adn. 5.

[2]) Quod eo magis videtur mentione dignum esse, quoniam Aquileiae videmus permultos e nobilissimis gentibus Romanis natos habitasse. cf. praeter Czoern. p. 152, 3 inprimis Indices ad CIL V, et Gregoruttium. Maionica, Epigr. p. 13 sq. — Liceat addere huc, quod mihi quidem notabile videtur, inprimis gentem Petroniam magno numero e Roma transmigrasse Aquileiam (cf. Indices nominum). Quae gens haud dubium est quin antiquitus studiosissime mercaturam solita sit facere. Namque habebat in nummis suis Feroniam, deam commercio maxime faventem, apud cuius de-

nobili natos non dubitasse cum infimo ordine connubium habere[1]). Perspicuum autem est eam morum libertatem ordinumque aequalitatem haud mediocriter debitam esse opibus splendidissimisque divitiis, quae e commercio in homines inferiore loco natos redundabant. Quo factum est, ut, qui genere ignobiles essent, pecunia exsisterent potentissimi atque illustres optimatiumque ad tempus aemuli paulatim inciperent cum iis coalescere[2]). Huic civitati quam splendida omnium rerum opulentia suppetiverit cognoscitur et ex sumptibus pro urbe atque republica factis et ex insigni ratione, qua viri de patria bene meriti honorabantur[3]).

Non persequar hic singula opulentiae vestigia, quae et in permultis urbis reliquiis scriptorumque enarrationibus obvia sunt et in florentissimo commercio facilem habent explicationem; praetereo etiam silentio, quid commercium incolarum pertinuerit ad commutandam miscendamque deorum opinionem; denique non quaero de omnibus iis rebus, quae commercium quasi subsequuntur atque ex eius favore videntur manare, sed de ipso Aquileiensium commercio mihi proposui exponere. Itaque quoniam de condicione natura magnitudine commercii satis diximus vidimusque Aquileiae mercaturam efflorescentem, iam paulatim intereuntem paucis delineantes rem quam brevissime absolvamus..

---

lubrum Trebulae Mutuescae constitutum celeberrimum mercatum constat fuisse (cf. Cohen. Méd. cons. T. XXX sq. Borghesii Opp. II, 106 sqq.). Petroniis aperte ducibus Feronia Aquileiam pervenit, ubi paulatim, ut videtur, deae cultus ab aliis quoque gentibus receptus est; certe id demonstrat frequentior deae memoria in titulis occurrens. cf. CIL V, 776, 8218, 8387, 8308.

[1]) CIL V, 1071 Anicia Glucera de marito mortuo praedicat: „ab imo ordine ad summum me perduxit honorem."

[2]) Non praetereo hic, quod Mommsenus (Arch. Zeitung XXXVI [1878] p. 74 sq.) quondam rectissime docuit: libertinos imperatorem aetate in eum plerumque modum quasi nobilitatos esse, ut sevirorum vel Augustalium munere fungerentur. Quam in opinionem optime quadrat, quod Aquileiae, cum ob commercium permulti libertini consedissent et permagnus sevirorum numerus et in seviris vel maximam partem libertinorum nomina occurrunt.

[3]) In utramque partem idoneus videtur qui nos doceat titulus CIL V, 961 descriptus, ex quo videmus cives decrevisse, ut Calvius Pollio ob praestantissima in rempublicam merita aurea statua equestri honoraretur.

Res post Constantinum magnum gestas vel obiter contemplanti patet parum idoneas fuisse ad commercium augendum atque emporiorum celebritatem amplificandam. Continuis prope illis bellis, quae non desierunt imperium Romanum atque orbem terrarum concutere Aquileiam constat ipsam quoque saepius vehementissime esse vexatam. Verum est inter illas tempestates altera ex parte Germanos magis magisque Italiae finitimos inque dies maiore humanitate excultos auctis vitae usu atque necessitatibus commercium urbis quasi adiuvisse: sed tamen habet ea res exiguam argumenti vim. Namque venditione paululum fortasse aucta compensari numquam potuit illud, quod Dacia relicta angustioribus paulatim finibus coeptae sunt regiones circumcludi, quibus Aquileia emporium atque quasi caput fuit. Relinquebantur barbaris, cum cadentibus imperii rebus praesidia satis firma limitibus iam non essent, primo modici, deinde latiores agri florentissimaeque provinciarum quarundam partes. Mercandi autem ea est ratio, ut quo ampliores fines pateant, eo amplius videatur negotium esse propositum, contractis vero finibus negotium atque lucri spes simul contrahatur.

Accedebat ad finium angustias magis magisque mercaturae factas, quod ab altera etiam parte turbulentissimae tempestates Aquileiae coeperunt perniciosae esse. Per totum imperium constat saeculo p. Chr. n. quarto commercium lapsum esse ad interitum. Ut erat immodicum maximeque effusis libidinibus adiutum certis denique quibusdam modis coercebatur et compellebatur, cum per totam Italiam atque provincias rebus secundis omniumque felicitate labentibus luxuriae iam non locus esset. Itaque quo magis Roma, omnis luxuriae quasi caput atque origo, praeceps coepit ruere, eo languidius necesse fuit fieret commercium, quod antea illuc omne convergebat. Ipsius Aquileiae commercium dubito equidem, num aeque atque cetera emporia Romae plurima incrementa debuerit; sed tamen per totum imperium studio quaestus mercandique sollertia deperditis, parum credibile est, mercatores Aquileienses communem negotii languorem non subisse. — Continuis bellis factum quoque videtur esse, ut illis temporibus operae coepissent deesse,

id quod artium fabricaeque cuiusvis studio maximum periculum attulit.[1])

Haec fere fuit universa temporum facies; Aquileia vero urbs, ut supra iam dixi, ipsa quoque iterum ac saepius vehementissime vexata atque oppugnata est. Non enumero hoc loco multitudinem proeliorum, quae in urbis prope conspectu decertabantur.[2]) Vidit enim urbs omnia illa scelera resque foedissimas, quas inde a bello inter Constantini filios gesto usque ad Theodosii imperium Romanorum exercitus non verebantur in se admittere. In tumultibus illis domesticis summa vi oppugnata saepiusque ab efferatis militibus gravissime oppresa fuit urbs paulo post barbarorum armis opposita, quae denuo coeperunt Italiae obstrepere. Illis temporibus, cum paulo ante Gothorum agmina totam Italiam diripuissent, accidit etiam, ut Pannonia provincia opulentissima Hunnis permitteretur. In tanta rerum adversarum multitudine gravissima denique urbis devastatio per Hunnos facta nihili nisi extrema inter res aeque perniciosas videtur fuisse, qua denique re Aquileia commercio nuda atque ad interitum iamdudum labens quasi uno impetu et excidio evertebatur. Licet urbs ex hac calamitate aliquantum denuo refecta sit: certe nulla unquam aetate antiquus ille emporii splendor ad loca maxime quondam celeberrima rediit. Memoriam vero illius splendoris et clarissimi principatus, quem Aquileia per complura saecula in illis regionibus obtinuit, tuita est per longum temporis spatium sancta ecclesia, cum quasi commercii Genio succedens ex sede patriarchali iam multo ante ibi instituta suum principatum magnopere tum augeret et propagaret.

---

[1]) cf. Schillerum, Röm. Kaiserzeit II, 445.

[2]) cf. Czoernigium l. l. p. 177 sqq., Schillerum, Röm. Kaiserzeit II, 240, 321, 407.

Carolus Herfurth de vita sua.

Natus sum die III. m. Dec. a. h. s. LXII in vico Faehrendorf sito ad Salam prope Merseburgum, patre Carolo, matre Berta e gente Herfurth, quos adhuc superstites esse quam maxime gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Decem annos natus, cum primis literarum rudimentis domi instructus essem, gymnasium adii Merseburgense, quod inde a vere a. MDCCCLXXIII usque ad ver a. MDCCCLXXXII frequentavi. Maturitatis examine superato primum civibus almae universitatis Lipsiensis adscriptus ibidem per ter sex menses studiis operam navavi et philologicis et historicis. Lipsia Berolinum me contuli, ubi easdem scientias amplexus in studia incubui per sex menses. Ad absolvendum denique quod philologi plerumque solent explere quadriennium Halas Saxonum transmigravi, ubi usque ad ver a. h. s. LXXXVI virorum doctissimorum scholas audivi. Hoc tempore cum examen pro facultate docendi coepissem praemeditari vir nobilissimus Otto princeps de Schoenburg-Waldenburg, cum Fridericum filium mihi permitteret instruendum, gratissimum munus obtulit. Quo munere ad tempus functus ad mea studia maturavi redire ac superavi aestate a. h. s. LXXXVIII examen pro facultate docendi. Paulo post annuum magistri probandi munus in gymnasio Numburgensi suscepi.

Docuerunt me viri clarissimi: Biedermann, Brandes, G. Curtius, Gardthausen, Heinze, Hermann, Hirzel, Lange, Lipsius, Masius, G. Voigt, Wenck, Windisch, Zarncke Lipsienses; E. Curtius, Delbrueck, Droysen, Kirchhoff, Koser, Paulsen, Vahlen Berolinenses; Dittenberger, Droysen, Duemmler, Haym, Hiller, Keil, Neumann, Schum, C. Wenck Halenses. Proseminarium philologicum per bis, seminarium per ter sex menses sodali extraordinario mihi licuit frequentare; seminarii historici exercitationibus ut interessem vv. ill. Duemmler et Droysen permiserunt benignissime, praeterea societatibus, quas instituere solent, liberaliter me admiserunt Delbrueck, Droysen, Koser, Neumann, C. Wenck. Quos omnes viros optime de me meritos grata semper memoria prosequar pioque animo colere nunquam desinam.

HR
H
254225

Author Herfurth, Carl

Title De Aquileiae commercio.

DATE. | NAME OF BORROWER.

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
Under Pat. "Ref. Index File"
Made by LIBRARY BUREAU